



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

22. Item de eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Item de eadem re. *Ibidem.*

Interpretat.  
leg. un. Cod.  
Theodof. de  
inquil. & co-  
lonis.

XXII. Si quis colonum alienum in re sua triginta annos habuerit, ac si suum vindicet. Qui infra triginta annos inventus fuerit, à domino cum filiis sibi debitis & omni peculio revocetur. Si verò mortuus fuerit, peculium ejus dominus recipiat. Colona verò si viginti annis in alieno dominio permanserit, à priori domino non requiratur. Colonom duæ partes agnationis sequantur, colonam verò tertia pars. Nam si agnatio infra viginti annos edita fuerit, quando adhuc colona domino competeat, repetentibus non negetur; quia in modernis legibus est constitutum. Sanè, ne separatio conjugij fiat, præcipimus ut dominus coloni vicaria muliere cum agnatione partis tertiæ non negetur.

De consecranda Ecclesia. *Ex Concilio  
Vvormaciensi.*

Concil. Bra-  
car. 2. c. 5.  
Concil. Vvor-  
mar. c. 3.  
Burchard. lib.  
3. c. 37.

XXIII. Placuit, quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopus invitatur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat; sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuat. Attamen unusquisque Episcopus meminerit ut non priùs dedicat Ecclesiam nisi antea dotem basilicæ & obsequium ipsius per donationem cartulæ confirmatum accipiat. Nam non levior est ista temeritas, si sine luminaribus vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt quàm si domus privata consecre-